DE COLICA INFANTUM DISSERTATIO INAUGURALIS...

Leonardo Clemens

DE

COLICA INFANTUM

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA

QUAM

PRO

Doctoris Laurea

IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA

UNIVERSITATE PATAVINA

PUBLICÆ DISQUISITIONI SUBMITTIT

LEONARDI CLEMENS

TYROLENSIS

TRIDENTINUS A VADO

PATAVII

TYPIS PENADA

MDCCCXLVI.

PARENTIBUS AVISQUE

OPTIMIS

HAS STUDII MEDICI PRIMITIAS

IN

ÆTERNÆ GRATITUDINIS

MONUMENTUM

OFFERT

LEONARDI CLEMENS

Recens nati ventriculum aeque ac intestina replet aliqua materies majori vel minori copia, quae dum adhuc utero continetur, ex vasis exhalantibus propriisque humoribus generatur, ita ut plerumque in ventriculo ac intestinis tenuibus glutinosam mucosamve substantiam referat: haec adeo sensim sensimque pro parte alterata ad crassa intestina descendens, materiam faeculentam, nigram, vel ex nigro viridescentem, tenacem, viscosam ad rectum finem usque deponit, quaeque proprio *Meconii* nomine insignitur.

Ne memorata vero materies ob liberam nunc aeris accessionem corrumpi jam magis, atque hinc acrior reddi incipiens, dira excitet tormina atrocesque creet dolores, ne exsuperante copia, aut glutinosa tenacitate diutius intestinorum lateribus adhaerendo liquidis ab arteriis per totum tractum exhalantibus, secernendis, ponatur obex; ne illud

emissarium, per quod bilis succusque pancreaticus in intestinum duodenum emergunt, fortassis ab ea jam obductum in eodem maneat statu, quo horum viscerum actionibus perturbatis, bilis in sanguinem retrogressa icterum concitet menstruisque adeo prima digestionis officina privetur, quae absque indigestione a neonato assumendorum desiderari nequeunt, salutari naturae conamine, matre, priusquam odcat, motu automatico, suo, ut appareat, modo ejicitur.

Ad hanc itaque ejectionem adeo necessariam facilitandam adjuvat vegeta infantis respiratio, qua viscera in abdomine collocata agitantur, concutiuntur, aer, qua subintrat intestinorum canalem, novum suggerit stimulum; ipsa glutinosa materies, ab eodem acrior asperiorve aliquatenus reddita, lacessit sensilia canalis latera, pars prae parte evidentius irritata constringit se fortius liberat proinde se molestante, infesto corpore, ac idem propellit jamjam ulterius in proximam vicissim partem, bile quae satis copiosa est iu receus natis remoto ita obstaculo in intestina defluente, meconium attenuatur ejus minuitur tenacitas, motuque peristaltico per naturalem bilis stimulum aucto, fricando, abstergendo, ex corpore eliminatur. Tali adeo actuosae naturae beneficio ventriculus ac intestina rite depurantur, ut apta sint excipiendis commoda, retinendis et digerendis alimentis.

Ut autem ulterius suae conservationi intentam rimemur naturam, lustrante ejus tramitem oculo,

ipsam prosequamur oportet. Paulo ante a resecto umbilicali funiculo, ablatoque hinc cum matre commercio, non leve perpessus est infans periculum, nullam nunc accipit alimoniam, et tamen corpusculum perpetuo in motu constitutum indesinenter de sua substantia quid perdit, quod jugitur, ne in ipso vitae principio rursus decedat, resarciendum esse, quis est, qui ignoret? Dolore, qui fames vocatur, a sensilium nervorum vellicatione nato impulsus, contendit eum quodammodo abigere; vagitus ac gemitus sensum molestum sufficienter declarant; ipse nonnunquam infans etiam signis postulat auxilium, quo se adversus urgentem muniat famem: his suo admonita mater officio ducemque naturam secutura avide appetenti sua porrigit ubera, quae jamjam turgent, non lacte quidem crasso, sed diluto, seroso, tenuique liquori, viribus digestioni nondum assuetis provide accommodato, quem capere novit, a gemina ductus et sugit infans et alitur, proprio *colostri* nomine ditato, eum proinde quoque in finem, ut tenaces meconii reliquiae, a naturae moliminibus nondum prorsus superatae, laxata etiam tenelli alvo expurgentur, summa cum ejusdem utilitate.

Tali naturae incessu, cum detersae sunt primae viae, cum tenui alimento non gravatae, digerendo aliquantum assuetae fuere; nunc triduo a partu, quadriduove, spissiorem, dulce lac, magisque nutriens in puerperae mammis colligitur, ita ut semper respondeat increscenti corporis ro-

bori, vegetioribus vitae actionibus, majores per easdem redditae jacturae reparandae. Quid ergo magis utile, quid magis congruum tenello, quam ut propriae matris lacte nutriatur, cum jam in utero a maternis humoribus nutrimentum habuit et incrementum? Quid non metuendum, quando infanti recens nato aliena porrigitur alimonia, cum etiam in adultis et sanis hominibus subita in victu mutatio periculum haud exiguum infert? Nec possum perspicere, quomodo suam causam defendent illae, quae suae proli denegant ubera, modo sint capaces ad simplex quadrupedum genus respiciendi cui aeque mammas datas esse viderent, tanto plures numero, quanto numerosiores foetus parere solent, ut singulis simul ac nati, praesto foret alimentum; hanc modo secutae facem, nusquam offenderent tam graves malorum aerumnas, quae et se ipsas et suas excruciant proles, quibus spernentes notum naturae matres ab eadem ipsa puniri nonnunquam videntur; in quod valdi dolores, inflammationes, suppurationes, vel indurationes mammarum reliquaque mala manifeste declarant.

Porro lac maternum, spissulum tenueve in ventriculum tenelli receptum, mediocri ibidem fotum calore, vel et sponte in sua discedit principia; sat viscerum chylopojeticorum viribus, nisi forte ab illis oleis sanguinosis, quae alias non raro nutricis custodisve ruditate infantibus ingeruntur, labefactatae fuerint, naturale istud coagulum, et vel acescentia haud difficulter superantur: et qui-

dem vel me tacente intelliges, modo perpendas copiam vasorum chylopojeticorum, cum infantibus totum corpus molle, humidum et succo plenum est; salivae, quam una engenda deglutire solcet, cui alias celeberr. Hofmannus vim digerentem haud mediocrem statuit; modo perpendas quantitatem bilis, quae in recens natis aeque larga in copia invenitur, ejusque indolem sat omnibus notam, qua intestina ad vegetiorem contractionem sollicitat, quae cum coagulo lactis trita, idem intime dissolvit, utilia cum humoribus inquilinis miscet, qua acescentiae ejus adeo promptae resistere conatur, ut ergo non adeo reformidandum sit naturale lactis coagulum; ut male ergo lac pro alimento recens natis minus congruo reputetur, maleque aptum, alium potius victum suasisse, cum nulla ars ingerendis aliis cibis praeviam talem mutationem inducere possit; neminem denique, dictis his recte perpensis, latere potest, naturale esse institutum, ut infantes neonati lacte materno nutriantur; ut soli exinde naturae duci relinquantur, hacque ratione majus quoque robur acquisiti, plurimis, qui teneram aetatem minantur, morbis profligandis, dentibusque sensim enatis aliis cibis, qui majori digestionis indigent molimine, assumendis, inque suos convertendis usus pares reddantur.

Praelibatis nunc, quae circa primam tenellorum aetatem de primae digestionis officina quoad statum sanum erant dicendae, functionibus, instituti quoque ratio poscit, ut, quae ex laesa ejusdem

maleque affecta observantur, phaenomena expo-
nam ac praecipuum quidem hujus aetatis sym-
ptoma, quippe *colicam*.

Quae infantes igitur recens natos frequentat colica, est dolor vehemens subitaneo, frequentius recurrente, sat non durabili ejulatu, pervigilio ec repetita corpusculi contractione comitatas.

Cum vero symptomata et rationem definitionis stabiliant, et morbi naturam dilucident, eosamque praebeant commodam, quid de ejus causa dicendum sit, haec ideo ejusdem descriptioni juvat praemittere. Morbus quoque pro variis illorum vehementia, ent syndrome, quae stipatur, diversos utique agnoscit gradus, majores hinc vel minores, ut in sequentibus patebit.

Morbum in procinctu esse, indicare valeat repetita ex somno expergiscentia, levior ejulatus et gemitus ipsius comites, qui nutricibus minus attentis pro fame tenellos urgente non raro imponunt; in ipsorum vultu signa inquietudinis conspiciuntur, solito frequentius nunc mammas arripiunt, vehementiusque per vices stringunt papillas, avidius plerumque et ultra satietatem sugunt, levis jam ipsos invadit horripilatio, cui accedit perpallida cutis superficies, anserina, quam utique acri, de qua natura intus angitur, vario tribuas, vasculisque nunc exhalantibus per spasmos subcutaneos ad intus propagatos constrictis, retropulsis exinde humoribus, largius contingit urinae profluvium; flatus hinc inde obmurmurant, faeces per breve temporis spatium in linteis re-

lictae ad viridem vergunt colorem, et vel grumi caseosi faecibus jam commixti apparent.

Hujus autem praesentiam characterizant inquietudo summa, vagitus frequentes quidem, ast subito ac vehementia quadam editi, parvigilium; corpusculum miselli saepe contrahunt, et varias in partes volutant, ipse venter evadit quodammodo elatior valdeque sensilis, ut contactum etiam levem aegre ferant, pedibus calcitrant perpetuo, ubera justo saepius prehensa, mox iterum derelinquunt, cum lac minus commode et absque doloris eugmento sugere nequeant; modo propius ad eosdem accedas, nares ab acido, acri odore fortiter percelluntur, quem vel anima spirat, aut ructus procreant, aut faeces emissae, quae jam viridem induerunt colorem, et quandoque tam profundum ut aeruginis instar lintea tingantur maculis vix delendis et plerumque lac maternum minus bene concoctum in multis grumis caseosis pituitae viridescenti admixtum conspicitur, quaeque modo recensita symptomata pro signis pathognomonicis jure reputentur.

Adolescenti festinanter malo supervenire consueverant diversae, nec fausti ominis noxae, obluctantes quidem irritatae naturae vires quodammodo ostendentes, quaedam tamen non raro tenerae aetati perniciem accelerant: etenim nerveae primae digestionis officinae fibrillae, easdemque tenerrimae, ab acri lacessitae motus spasmodicos excitant, quaquaversus per corpus propagant, ut adeo exinde haud difficulter explicandae sint

nauseae, conatus vomendi, quibus aliquid non raro liquidi, acris, colostrati, per guttur expellere caepit natura, quo sub nixu acidum acre ad superius ventriculi orificium adpellitur, ut inde molesta cardialgia sequatur; presso autem ventre sequuntur et ipsi vomitus, quibus acria acide, coagulati lactis particulae, aliaque corrupta ibidem stabulaetis, magno impetu ejiciuntur: sympathiam ubique nervorum, qua tales nixus spasmodici per partes quodammodo consentientes, tam vicinas, quam remotiores distribuuntur, ad alia aeque crebra symptomata excitanda haud parum momenti afferre satis constat; unde deducas palpitationem cordis, tusses, sternutationes, singultus, atque intollerabiles anxietates.

Ad ipsius autem morbi ecmen constituendam accedunt macies totius corporis, abdomen prominulum, hypochondria tumida, alvus suppressa, in aliis colliquans diarrhoea, insequitur virium ingens dispendium, apparent meticulosi aspectus versus custodes suas, apparent mirae votationes bulborum oculi, quas et sub palpebris clausis conspicere datur; redeunte autem dolore quasi territi subsiliunt; simul quoque livescit facies, mucosa in ore materies, spuma ante idem et ad labia colligitur, utramque maxillam nunc ad se invicem apprimunt, et ubivis denique convulsiones regnare conspiciuntur.

Potiora, quae hunc morbum concomitantur, symptomata recensuimus. Ad causarum disquisitionem aggrediamur, quas more pathologorum in

proximam et remotam, hanc iterum in praedisponentem et occasionalem dividamus. Ex remotis vero causis praedisponentes praeprimis in prima digestionis officina quaerendae: veluti nimia ipsius ob delicatam fibrarum teneritudinem irritabilitas, qua teneri infantes nimis sensili nervorum systemate praediti, huic morbo admodum obnoxii redduntur; cum hac ratione, etiam leviores causae, levioribus pronatis stimulis, illius tenorem perturbare possunt: uti et hujus officinae languor, quo contenta, vel ingeste nimis tarde elaborantur, seroque nimis tempore iterum expelluntur, ut adeo mora concedatur stabulanti ibidem materiae, qua data potis est suam contrahere corruptionem, ac legitimam pro sua indole acrimoniam declarare. Universus caeterum corporis habitus huic morbo progenerando non levem suppeditare ansam valet, qui infantibus adeo mollis, tener, sensilis existit, sive nunc debilis haec constitutio sit congenita, vel haereditaria, vel post nativitatem acquisita, dum matres aliunde neonati corpus calida frequenter aqua, ut ita dicam, macerant, linteis, fasciis, studiose involvunt, pulvinaribus adhuc obruunt, ut adeo perversa hac tractandi ratione, in continuo vaporis balneo, corpusculum molle detentum, adhuc magis teneregcat, ac ad quasvis potentiarum nocentium impressiones recipiendas et fovendas disponatur.

Inter causas procatarcticas referri meretur meconium, cui ad dolorem colicum excitandum mira est efficacia, id quod plurima tristia exempla

confirment; agit autem suo acrimonia, quam sibi pro vario corruptionis gradu contrahit, prout nempe data mora, aereque jam appulso, in acrem putridamque indolem magis inclinaverit; interdum molesta glutinositate, vel picea tenacitate adhaeret intestinorum lateribus, ut omnis ejus quantitas admodum difficulter a neonato expelli possit; atque hinc quaedam pars quodammodo alterata tamquam fomes in corpore remanet, quo lac nutricis infanti porrectum celerrime corrumpitur, perque id etiam meconii reliquiae eo majorem subeunt acrimoniam, ut tali modo duplex nunc morbi malorumque origo derivanda esse videtur. Lactis dein coagulum, licet naturaliter in primis viis contingat, morbosum tamen omnino pronunciatur, si nimis cito fortiterque eveniat; huic vero contribuit sera nimis e partu ad ubera applicatio, qua lac in mammis collectum per moram jam in iisdem degenerare mollitur, ut adeo in ventriculum tenelli receptum citissime coaguletur, acescat, et acore semel nato, quidquid de lacte ulterius capit, statim compingatur in massam gravem acremque. Porro cum satis constet, quod lac sit chylus ex alimentis a nutrice ingestis profectus, hinc si largius utitur alimentis acidis, vel in acescentiam pronis, nullus dubito, quin et chylus hanc necessario induens naturam, per actionem viscerum vasorumque, per reiteratum una cum humoribus circuitum in lac mutatus, etiam tamquam lac eam indolem retineat: et quidem maxime, si nutrix inerti torpeat otio, quo cir-

cuitus humorum admodum vacillans eumdem eo minus immutare valet; ergo lac in acidam jam vergens naturam in ventriculum tenelli receptum eo quoque citius acescet, quo minus subactum est, in coagulum firmius majoremque acrimoniam abivit, id qeod et stabilire videtur, quam nutrix novi a pasto tempore ubera praebet, quo infans fere semper colica infestari solet: huc etiam suam conferunt symbolam validus cunarum motus, quo lactis etiam optimae notae coagulatio augetur et acceleratur; lac proinde nimis crassum, concoctricibus naturae viribus utique superius, aut nimis copiosum, quum nutrices, quandoque ejulat infans, eum pacaturae uberibus admovent, ita oneratus demum lacte ventriculus idem subigere nequit, quod sponte dein degenerans acrimoniam sibi consciscit morae respondentem. Bilis denique vel quantitate peccans, vel qualitate, qua aut nimis iners, minorive copia, adversus subortam militat acorem, coagula partesve viscides resolvit. Praeterea temperaturae vicissitudines animique et corporis vehemens motus.

Proxima igitur causa erit irritatio plus minusve violenta, in quacumque perquam sensilium intestinorum parte, ab acrimonia praeprimis acida suscitata; ita ut, si a meconio pendet, effectus inde emanans dicatur *colica meconialis*; *colica* autem *lactantium*, si lac alteratum, pultesve eam ingenerarunt, habito ad tempus respectu facile eruenda.

Hujus vero eventum, omnino diversum, prae-

aegire arduum quidem videtur; verum quo gravior causa, quo vehementior est irritatio, eo atrocior effectus funestiorque utplurimum aventus deprehenditur. Dolor enim vires tenellorum facile opprimit atque consumit, ut brevi eorumdem fatum subsequatur. Spem recuperandae integrae salutis promittit firmior infantis constitutio, non adeo sensilis aetate provectiore, minor mali gradus; si ab ipsis morbi incunabulis congruam adhibueris medicationem, utique non desperes: si autem, ut plerumque fieri solet, malo recenti non festinanter succurritur, ingravescenti accedentes convulsiones non raro exitium inferunt sub rhoncho ac profunda somnolentia praegressae. Cavendum quoque, quod si infans una alterave vice convulsionum invasionem absque letho expertus fuerit, ne ex alto somno expergiscens bella se habere, ac in vado res ejus credantur, quando idem in procinctu est. Non desunt observationes, ipsum emprosthotonum, etiam episthotonum quandoque, malo utplurimum sidere subsecutum fuisse, imo epilepsiam, quam vocant infantilem, inde suos natales trahere, qua dein, si etiam priora superaverint, non vero e vita abripiuntur, aut varia saltem noxis, malae corporis conformationi, sensuum quorumdam abolitionibus obnoxii redduntur.

Nonnunquam a cruditatibus necessario anstis glandulae mesenterii obstruuntor, abdomen insigniter intumescit, toto hinc corpore redduntur amacistissimi, sensim cachexia humoribus ingeneratur, quae tamquam foecunda morborum ge-

netrix et sequentis suo tempore rhachitidis considerandae meretur.

Non raro intestinorum oritur inflammatio, quae brevi in gangraenam tendit, quaeque eo magis metuenda, quando tarda diu moratur alvus, aut colliquans diarrhoea infestat, qua gangraenescentium viscerum tabes per alvum egreditur, vires adhuc reliquae collabuntur, et mors his malis finem imponit. Saepius vero impuritates memoratae, universae humorum massae commixtae, validiore naturae robore ad partes capitis externas propelluntur, unde capitis exulcerationes, crusta lactea, ophthalmiae oris admodum frequentes, aurium quoque et oculorum fluxiones, glandularum praesertim in collo sitarum tumores exinde contingunt; interdum quoque ad habitum corporis, ad ipsius quoque pedes falsae impuritates delatae, suo quovis tempore, varias pustularum, macularum, exanthematum species producunt.

Ut nunc medela ex voto subjungatur, ad diversas, quae hunc affectum excitare valent, causas, in praemissis enumeratas, sedulo respicismus necesse est. Cum a meconii vel picea tenacitate, relatum est, nonnunquam oriatur, qua pertinaci sua adhaesione praeter plura incommoda etiam nixus desidendi in teneris excitat, ut tamen plerumque incassum ad idem expellendum se fatigent; eam tenacitatem imminuere, indicatio suadet. Ipsa natura nobis hanc monstrat viam, matris enim ubera primis diebus tenui, seroso turgent liquore, qui recens natis concessus meconii

tenacitatem vi ejus diluente minuit, lenique sua vi purgante de corpore evocat; memoratae quoque difficultates utplurimum in iis animadvertuntur, quibus tale serosum lac denegatur. Verum curiosa naturae imitatio talia hinc profligat incommoda; serum lactis a colostro humano quam proxime obesse nemo ibit inficias, suaque vi saponacea, diluente, viribusque alvum leniter ducendi hic praeprimis conducet, ita ut repetita vice pauxillum seri lactis, melle edulcorati recens natis ingeratur, quodque etiam lubentius assumunt; simul quoque, ut eo certior maturiorque effectus obtineatur, clysmata ex eo confecta, pauco etiam melle et pauco sapone veneto acuata administrentur, idque ideo, quum meconium in crassis intestinis praecipue collectum haereat, et sic absque notabili difficultate per proximam viam elui possit, adhibita semper cautela, ut uncia dumtaxat talis seri lactis injiciatur, et leni vi quidem, ne tenera intestina moleste afficiantur, ac tutius esse statoss repetere tale clysma, si opus fuerit, quam simul et semel majorem copiam adhibere

Methodus haec immo ejus etiam acrimoniae, mederi valet, qua blande materies nociva ex corpore eliminatur; verum cum primae recens natorum viae a doloribus diuturnis inde excitatis fuerunt debilitatae, aut etiam nimis languidae redditae, hinc commendantur eccoprotica, quae vi, qua gaudent, saponacea, heterogenea ibidem haerentia, dissolvunt, attenuant, lenique stimulo canalem cibarium sollicitatum evacuare nituntur,

uti aunt cassiae fistulae pulpa, manna, aut etiam syrupus cichorei cum rheo, quae praeter lenem stimulum etiam aliquid roboris primis viis conciliare non immerito judicantur, sat parca semper manu per vices exhibita. Quam parum conveniunt etiam olea blanda ad corpus a meconio liberandum doloresque mitigandos.

Plurimum porro profutura esse remedia absorbentia ad acidam acrimoniam a causis supra allatis productam facile perspicitur, dummodo caute, et respectu habito ad tenellam aetatem, propinentur, ne gravatis exinde primis viis in pejus vertatur malum, novaeque prioribus accumulentur molestiae. Inter haec praestat magnesia, quae, praeter quam quod in acido compescendo suam exerat efficaciam, aeque alvum reddat faciliorem, facilique negotio cum idoneo quovis syrupo jungeri possit.

Conveniet praeterea doloribus valide urgentibus nonnunquam absque mora succurrere, ne sua vehementia vires nimium deprimant, intestinorum inflammationem aut funestas producant convulsiones, malaque plurima. Temporarium talem medelam afferre oleum olivarum, lini, amygdalarum dulcium cum syrupo quodam exhibitum non negaverim, dummodo postea removendae eorum causae non obliviscaris; lenissima quoque sedantia adhibenda esse suadent non raro pervalidi infantum ejulatus; uti syrupus florum rhoeados, syrupus diacodii, aqua diluti parca dosi, et vice repetita, donec quies blanda sequatur. Multum

quoque levaminis promittit cataplasma ex ovis cum croco et oleo semicoctis confectum et subcalide ventri impositum, nec non clysmata emollientia moderata.

Cedente autem morbi vehementia consuli adhuc fracto primarum viarum tono oportet. Protinus ergo opitulandum erit medicamentis interne roborantibus, veluti tinctura rhabarbari, syrupo cichorei, vel per se vel huic associato, parca manu exhibitis, similibusque leni quadam virtute operantibus. Extrinsecus conducere videntur fomenta, parata ex vino mixto, in quo aromata, quemadmodum majorana, mentha, rosmarinus, plura hinc vel pauciora decocta sunt, quibus per plures dies imo hebdomadas etiam abdomen lavare expedit.

Profligato tandem morbo summopere cavendum, ne infanti plus lactis simul et semel concedatur, quam cui ejus vires subigendo pares sunt, ne eodem assumpto in cunis agitatur, sed in alio idoneo, excepto horizontali, situ teneatur. Pulmentis caeterum farinaceis, etiam tenuioribus, quamdiu matris vel nutricis uberibus vivit, abstinere jubeat medicus; licet congruum videatur, durante hoc tempore subinde aliud porrigere alimentum, ut eo felicius ablactari queant. Verum cum dentur plura, quibus hoc satisfieri valet consilio, hinc lac vaccinum aqua et saccharo lacti humano approximatum, pultes ex pane bis cocto carente lentore farinoso lactique aequabilius uniendo paratas, imo subinde etiam juscula carnium commendantur.

Diaeta autem nutricis respondeat crescenti sensim infantis robori, secundum quod cibi nimirum potusque copia dirigenda; abstineat, quantum par est, esculentis et potibus acidis vel in acescentiam pronis; coerceat animi motus, fugiat otium, tueatur denique ac foveat animi tranquillitatem hilaritatem.

THESES

I.

Nulla dantur colostro aptiora remedia ad meconium evacuandum.

II.

Matris ubera non solum physicae infantis, sed et psychicae salutis fons.

III.

In morbis nonnullis infantum melius est mutare nutricem quam curare infantem.

IV.

Educatio bona inter optima praecavendorum morborum remedia est referenda.

V.

Impeditus motus membrorum omnium evolutionem retardat.

VI.

Permulti morbi originem ducunt a qualitate et quantitate alimentorum.

VII.

Ignorantia est fertilissima morborum mater.

VIII.

Quo simplicior morborum cura, eo melior.

IX.

Hominibus incurabili morbo affectis magni est religio nostra levaminis.

27